

**C O R P O R I S**  
**J U R I S C A N O N I C I**  
**T O M U S P R I M U S,**

**C O N T I N E N S**

**D E C R E T U M G R A T I A N I,**

**A D V E T E R E S C O D I C E S R E S T I T U T U M**  
**E T N O T I S I L L U S T R A T U M.**

**C U I A C C E D U N T**

**C A N O N E S P O E N I T E N T I A L E S**

**E T**

**C A N O N E S S A N C T O R U M A P O S T O L O R U M.**



C O R P U S  
JURIS CANONICI

ACADEMICUM,  
EMENDATUM ET NOTIS P. LANCELLOTTI  
ILLUSTRATUM,  
IN

SUOS TOMOS DISTRIBUTUM,  
USUIQUE MODERNO  
*Ad Modum*

CHRISTOPH. HENR. Freiesleben /  
*alias* FERROMONTANI,

J. U. D. CONSIL. CAMER. ET MIN. SAXO-GOTH. ET ALTENB.  
ITA ACCOMMODATUM,

UT NUNC STUDIOSORUM QUIVIS, ETIAM TYRO,  
UNO QUASI INTUITU, OMNES CANONES, CAUSAS  
ET CAPITULA INVENIRE POSSIT.

*Accesserunt*

LOCI COMMUNES UBERRIMI  
ET  
INDICES TITULORUM CANONUMQUE OMNIUM  
*summa diligentia ac nova methodo concinnati.*

TOMUS PRIMUS,

*Cum PRIVILEGIIS CÆSAREIS & SAXONICIS.*



COLONIÆ MUNATIANÆ,

Impensis J. R. THURNISH, Bibliop. & Typogr.

M DCC XLVI.



# RATIONE MODI JUS CANONICUM

## ALLEGANDI,

in antecessum observandum, *Textus*, qui ex DECRETO allegantur, per *Canones* esse allegandos; in DECRETALIBUS vero per *Capitula*. Hisce autem præsuppositis, jam singulæ *Partes* sunt videndæ.

§. I. DISTINCTIONES igitur allegantur per majusculum D. vel *Dist.* subjecto numero Distinctionum, E. gr. c. *Audite*, *Dist.* 34 id est, *Canon. Audite*, *Distinç.* 34 c. 14. D. 96. id est, *Can. 14. Distinç.* 96. In veteribus Libris, Canonis verba initialia plerumque post Distinctionem demum ponuntur, ita: 76. *Distinç.* *Scire*, id est, *Can. Scire*, *Dist.* 76.

§. II. CAUSÆ allegari solent juxta numeros, & quidem per literam C. hoc modo, C. *Principatus. C. I. Q. 1.* id est, *Can. Principatus. Causâ 1. Q. 1.* Vel etiam ita brevius moderni Dd. allegant. c. 3. c. 12. q. 5. Ubi semper primum C. *Canonem*, secundum C. *Causam* denotat; Alii illi C. quod causam significat, literam a. addere solent ita: c. 36. ca. 17. Q. 4. Aliter adhuc allegant Doctores antiqui, qui illud C. quod causam significat, omittunt & Canonem citant verbo initiali, eidemque numerum subjiciunt, qui non est numerus Canonis, sed causæ, E. gr. c. *Apertè*, 24. q. 1. Hoc ita legendum: *Canone*, *Apertè*, *Vigesimâ quartâ*, (subintellige, *Causâ*) *quæst. 1.* quem Canonem moderni Doctores ita allegant. c. 36. c. 24. q. 1. Vel etiam haud rarò Veteres Dd. allegant ponendò verba initialia Canonis, post quæstionem. E. gr. 7. q. 1. *Denique*, id est, *Can. denique, causâ 7. q. 1.* item 14. *qu. 5.* *Dixit Dominus*, id est, *Can. Dixit Dominus, causâ 14. quæst. 5.* Quales abbreviatio- nes ita legendæ. E. gr. 9. q. 3. *Cuncta*. ita: *Nonâ*, (id est *causâ*) *quæst. 3. Cuncta*. id est, *Canone* ita incipiente. In evolutione autem primò quærenda *Causâ*, post Quæstio, tertio demum *Canon*. Numerus autem *Causæ* & *Quæstionis* in superiore cujusvis paginæ parte conspicitur; Canonis numerus à latere quærendus.

§. III. Notandum autem in *Causâ XXXIII. Quæst. III.* inferi Tractatum de *Pœnitentia*, qui habet septem speciales Distinctiones, & ita allegari solet, è C. *Perniciosè*, de *Pœnit. Distinç.* 1. quod in *Causâ 33. quæst. 3.* quærendum; vel ut Veteres allegant, de *Pœnit. Dist. 1. Homicidiorum*, id est, *Can. Homicidiorum, de Pœnit. Dist. 1.*

§. IV. DE CONSECRATIONE Tractatio specialis subjecta est post absolutas causas, & continet Distinctiones quinque, & ita allegatur, c. *Triforme*, de *Consecrat. Distinç.* 2. sive, quod idem est c. 22. de *Consecr. D. 2.* id est, *Canone 22. de Consecrat. Distinç.* 2. Veteres brevius allegant hâc ratione, de *Con. D. 4. Postquam*, id est, *Can. Postquam. de Consecrat. Distinç.* 4. vel ita: de *Conf. D. 3. Noffe*, id est, *Can. Noffe. de Consecrat. dist. 3.*

Huic tractatui subjiciuntur CANONES POENITENTIALES, ET CANONES APOSTOLICI, qui ita allegantur, *Can. Pœnitential. 14. Can. Apostol. 32.*

# D E C R E T U M A B B R E V I A T U M, S I G I L L A T I M C U N C T A A T T I N G E N S.

Liber Decreti divisus est in Tres partes. Prima est de Distinctionibus:  
Secunda de Causis: Tertia de Consecratione.

## P R I M A P A R S

*Distincta est in Distinctiones CI.*

**P**rima distinctio tractat de jure naturali & humano, jus ipsum naturaliter ejusque species omnes diffiniens, & inter jus scriptum & non scriptum differentiam ponens,

II. De jure Quiritum, sive Romanorum, ipsum per species diffiniens,	4
III. Juris Canonici varia nomina distinguit, breviterque exponit,	4
IV. Ad quid leges inventæ sunt: & quid sacri Canones mandent,	5
V. Quomodo jus naturale est immobile: nec obstat quod ibi ponitur,	6
VI. An illusiones nocturnæ ad peccatum imputentur: & circa finem persequitur de juris naturalis dignitate,	8
VII. Ponit legislatores: ostendendo qualiter jus inceperit,	10
VIII. Ponit differentiam inter jus naturale & consuetudinem,	11
IX. Auctoritate & exemplo probat, constitutiones hominum juri naturali cedere,	14
X. Ostendit, quod leges Imperatorum vincuntur à Canonibus,	17
XI. Dicit, consuetudinem legibus approbatis cedere,	21
XII. Habet, laudabilem consuetudinem esse servandam, quæ nec Canonibus sacris, nec veritati, nec bonis moribus obviet,	24
XIII. Vult, quod contra jus naturale non admittatur dispensatio: nisi in fuga majoris mali,	29
XIV. Quod quis non debet minus peccatum committere, ut aliud majus evitare possit,	30
XV. Notat de tempore, quo sacri canones, librique & Concilia celebrata fuerunt: & quæ opuscula sunt admittenda,	31
XVI. Ponit, quod Canones Apostolorum sunt recipiendi: postea ostendit, quo tempore, & quo residente in Papatu, vel imperio, quodlibet Concilium est celebratum,	37
XVII. Dicit, non Concilia, sed conventicula celebrari sine Papa,	46
XVIII. Ostendit, quod provincialia Concilia nihil generaliter possunt constituere, idem consequenter declarat, ad quid sint utilia, & quoties in anno, & quo tempore anni, & cujus auctoritate sunt celebranda, & quod Metropolitanus nihil debet exigere ab Episc. ad Concilium convenientibus. Addit de pœna Episcopi, qui vocatus ad Synodum non venit,	49
XIX. Vim Decretalium ostendens dicit, mandata Ecclesiastica devotè servanda,	54
XX. Dicit, quod in causis diffiniendis sacri Canones, in exponenda verò sacra Scriptura sancti Doctores attenduntur,	60
XXI. Tractat de diversis ordinibus & gradibus ministrorum, docendo, qui sunt executores sive ministri Canonum, à majore usque ad infimum. Et differentias ministrorum locorum assignat, probans, quod major à minori non debet judicari,	62
XXII. De dignitate Romanæ Ecclesiæ & quarundam aliarum,	67
XXIII. De ordinatione ministrorum, incipiens à Romano Pontifice, & descendens usque ad Ostiarium,	70
XXIV. De examinatione ordinandorum,	79
XXV. De officiis Clericorum, incipiendo ab Ostiario,	80

& ascendendo usque ad Episcopum. Circa medium distinctionis inchoat tredecim præcepta regulæ Apostolicæ, & persequitur ibi, Oportet Episcopum esse sine crimine. Et inde nactâ occasione, ponit varias significationes hujus nominis, crimen. Et ostendit, quod sit mortale, & quod veniale,

XXVI. Exequitur secundum præceptum Apostolicæ regulæ, Oportet Episcopum esse unius uxoris virum,	85
XXVII. Probat, quod nolentes vivere continentiam, ad sacros ordines promovendi non sunt, assignans differentiam inter solenne & simplex votum,	87
XXVIII. Probat, quod Clericis habere uxores non licet in Ecclesia occidentali, addens de subdiaconatu, qui olim prohibitus non erat. Vid. quod ibi notatur,	90
XXIX. Ostendit, quædam Capitula tradita esse ex causa, quædam ex tempore, quædam ex loco, quædam ex persona,	95
XXX. Quia dictum fuit 28. dist. sup. quod Sacerdotes non debent à se abjicere uxores suas prætextu religionis, hic dicit, quod ex causa fuit hoc statutum, scil. propter quosdam hæreticos, qui conjugia detestabantur, ibid.	99
XXXI. Probat & ponit exempla in terminis, qualiter Clerici continere debent, & quod ab omnibus est servanda continentia, nisi ab Orientalibus,	99
XXXII. Adhuc persequitur de continentia Clericorum: Et dicit, quod constituti in quatuor sacris ordinibus tenentur continere, & si habent publicas concubinas, nullius eorum Missam audiat,	103
XXXIII. Ostendit, quod bigami, corpore vitii, usurarii, publicè penitentes, lutores, in scena ludentes, furiosi, arreptitii, accipientes meretrices in uxores, & concubinas habentes, promoveri non possunt,	109
XXXIV. Ponit, quod oportet Episcopum vitare nimiam familiaritatem domesticarum personarum, & etiam consanguinearum, & quod venari non licet,	111
XXXV. Agit de tertio Capitulo Apostolicæ regulæ, Oportet ordinandum non esse violentum,	117
XXXVI. Exponendo illud, prudentem, dicit quod Clerici debent habere peritiam literarum sacrarum,	119
XXXVII. Ostendit, quod Clerici non debent libros gentilium respicere, peritiam tamen secularium scientiarum debent habere,	121
XXXVIII. Probat, quod literis debet esse eruditus Sacerdos, & canones ignorare non debet. Ignorantia enim ipsi est periculosa,	126
XXXIX. Ostendit, quod oportet Episcopum esse prudentem in negotiis secularibus, ut suâ cautellâ reddantur Ecclesiæ indemnes,	129
XL. Persequitur quintum Caputulum Apostolicæ regulæ, Oportet Episcopum esse ornatum. Et primò de ornatu interiori, qui consistit in virtutibus, ibid.	133
XLI. Tractat de ornatu, qui consistit in gravitate, incessu, habitu, & temperantia potûs & cibi,	135
XLII. Declarat illud, hospitalem,	137
XLIII. Illa duo, pudicum & doctorem,	140
XLIV. Illud, non violentum, quod est pars ejus, quod diximus sup. 25. dist.	143
XLV. Illud, non percussorem,	149
XLVI. Illud, non litigiosum,	151
XLVII. Illud, non cupidum, domui suæ benè præpositum,	154
XLVIII. Illud, non neophytum,	154
XLIX. Prædicta præcepta Apostol. regulæ sub compendio & breviter recapitulat. Et ponit causas & rationes, quare	154



# CONCORDIA DISCORDANTIUM CANONUM, AC PRIMUM DE JURE DIVINÆ ET HUMANÆ CONSTITUTIONIS.

## DISTINCTIO PRIMA.

**H**UMANUM genus duobus regitur, naturali videlicet jure & moribus. Jus naturale est, quod in lege & Evangelio continetur, quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod sibi vult fieri. Unde Christus in Evangelio a: Omnia quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Hac est enim Lex & Propheta.

Correctores Romani. ¶ a Ac primum] Hoc loco in manuscriptis codicibus magna est varietas. Nam partim nulla est hoc loco inscriptio: partim verò legitur, De jure scripto & non scripto, & quod cui præponatur, & legum authoribus, & duorum malorum electione, sive dispensatione. Aut, Ac primum de jure constitutionis naturæ divinæ aut humanæ. Aut, De jure naturæ, & humanæ constitutionis, quam Dominicus de Geminiano agnoscit, & extat in nonnullis antiquioribus editionibus. Aut, De jure naturæ & constitutionis, qua inscriptio maxime videtur convenire tractationi Gratiani, qui sæpi ad hæc capita revertitur, ut initio distinct. 5. 7. 8. 15. & 11. q. 1. c. si qua causa. hanc totam locum indicans scribit: Require in principio, ubi differentia signatur, inter jus naturale, & jus constitutionis. Verumtamen in hac tanta varietate, qua, ut alia conjectura mittantur, argumento esse potest, nullam hic à Gratiano ipso positam esse rubricam, satis visum est, retentâ vulgatâ lectione cetera indicare.

C. I. Divinae leges naturæ, humanae moribus constant.

Hinc Isidor. in lib. 5. Etymolog. c. 2. ait:

Omnes leges aut divinæ sunt, aut humanæ. Divinæ naturæ, humanæ moribus constant: ideoque hæc discrepant, quoniam alia aliis gentibus placent. §. 1. Fas, lex divina est: Jus, lex humana. Transire per agrum b alienum fas est, jus non est.

Gratianus. Ex verbis hujus authoritatæ evidentè datur intelligi, in quo differant inter se lex divina & humana, cum omne quod fas est, nomine divinæ, vel naturalis legis accipitur: nomine verò legis humanæ, moris ipso jure conscripti & traditi intelligantur. §. 1. Est autem jus generale nomen, multas sub se continens species.

C. II. Jus genus, Lex autem species est.

Unde in eod. lib. Etymolog. c. 2. Isidor. ait:

Jus generale nomen est; Lex autem juris est species. Jus autem est dictum, quia iustum est. Omne autem jus legibus & moribus constat.

C. III. Quid sit Lex.

Lex est c constitutio scripta.

C. IV. Quid sit Mor.

Mos a est longa & consuetudo, de moribus tantummodò e tracta.

Correctores Romani. ¶ a Apud Isidor. hæc antecedunt: Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta. Nam lex à legendo vocata est, quia scripta est. Mos autem longa consuetudo est, &c.

C. V. Quid sit Consuetudo.

Consuetudo autem a est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. §. 1. Nec differt, an scripturâ, an ratione consistat, quoniam & legem ratio commendat. §. 2. Porro si ratione lex constat, lex erit omne jam, quod ratione consisterit duntaxat, quod religioni conveniat, quod disciplinæ congruat, quod salutis proficiat. §. 3. Vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu.

Gratianus. Cum itaque dicitur: non differt, utrum consuetudo scripturâ, an ratione consistat: apparet, quod consuetudo est partim redacta in scriptis, partim moribus tantum identitè est reservata. Quæ in scriptis redacta est, constitutio, sive jus vocatur: h quæ verò in scriptis redacta non est, generali nomine, consuetudo videlicet, appellatur. §. 1. Est autem & alia divisio juris, ut in eod. lib. 5. c. 4. testatur Isidorus, ita dicens.

C. VI. Quæ sint species Juris.

Jus e autem aut Naturale est, aut Civile, aut Gentium.

C. VII. Quid sit Jus naturale.

Jus naturale est commune omnium nationum, eò quòd ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur; ut viri & feminae conjunctio, liberorum successio, a & educatio; communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ caelo, terrâ, marique capiuntur; item depositæ rei, vel commendatæ d pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. §. 1. Nam hoc, aut si quid huic simile est, nunquam injustum, sed naturale æquumque habetur.

Correctores Romani. ¶ a Successio] In tribus codicibus manuscriptis Isidori, & aliquot Gratiani, legitur, Liberorum susceptio & educatio, quæ lectio convenit cum l. 1. §. de justit. & jure, versic. hinc descendit.

C. VIII. Quid sit Jus civile.

Jus e civile, quod quisque populus, vel quæque civitas sibi proprium, divinâ humanâque causâ, constituit.

C. IX. Quid sit Jus gentium.

Jus f gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, Jbella, captivitates, servitutes, possidimonia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubiâ inter alienigenas prohibita. §. 1. Hoc inde g jus gentium appellatur, quia eo jure omnes ferè gentes utuntur.

a Isidor. ibid. Ivo ibid. Pam. l. 2. c. 161. Tertullianus in libro de corona militis. b Quando ita simpliciter, ut ex nunc statuitur, sed si consuetudo publicâ auctoritate in scriptis religitur & auctoratur, ne dubitetur an aliâ probatione opus sit, nihilominus consuetudo est. c Jus aut naturale) orig. & aliquot Gratiani codices Isidor. eod. c. 4. d al. commodatæ restitutio. e Isidor. eod. lib. c. 5. f Isidor. eod. lib. c. 6. g & inde jus gentium, quia eo) orig.

a Matth. 7. b per agrum) in Isid. mansc. c Isid. eod. c. 3. d Isid. ibid. Ivo p. 4. c. 200. e tantundem) in orig. manuscripti. & aliquot Gratiani.